niti, absq; molestia illas extinxerunt. Hæc et ſimilia inporta-
narum tentatorum retia, fortes Christi milites illæsi tranſilierunt,
unicum oculorum ictum ſuperare non potuerunt; ſed ſimul ut aſpexe-
runt, ſimul luſi ac illuſi fuerunt. Avena trahit equum, ramus
ovem, nuces puerum, magnes ferrum, cæcias nubem, ſuccinum feſtucam;
ſed longe omnium potentiſſimus est oculus, qui hominem ad se trahit, trahit:
ad æterna tormentorum ſupplicia trahit. Et quid mirum? retibus
aves, hamo piſces, laqueo vulpes, urſus melle decipiuntur ac capiun-
tur, homo vero oculis, quæ retia ſunt, capitur. Etenim ſi orga-
num oculi recte expenderis, à forma retis, tunicam reti ſimillimam
invenies. quid igitur mirum, homines oculis capi, qui in ſe tegunt
ac texunt retia? his vinctus retibus Samſon ille abſtemius,
magno Dei dono datus, qui luſit cum leonibus, tanquam cum agnis, Da-
lilam oris quam animi meliorem aſpexit, ac periit. Hunc quem
multa millia hoſtium armata non vicerant, unus oculus ſine tu-
multu, ſine delectu, ſine armis, ſine exercitu ſuperavit. Hoc
inesſatus hamo (ut omittam magnum illud ſapientiæ humanæ miraculum
et oraculum Salomonem, hominem virtuti ſimillimum, et per
omnia ingenio Diis quam hominibus propiorem) hoc, inquam,
inesſatus hamo potentiſſimus Regum David decem millium
victor animoſus, qui non homines modo, ſed et leones et urſos
inaudito robore confecerat, Bethſabam elegantis formæ fæ-

Lizenz: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 178v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/de/zbz/D0147/178v)